



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

7. Ordinis vestri &c. Ne quis è Fratribus Ordinis Prædicatorum in
Episcopum electus absque facultate superiorum electionem acceptet: Anno
1317.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO
1317.VI.
Ex Arch.
Angl. Rimer.
Tom. 3. pag.
682.Bulla de excommunicando Regni Invasores,
& Turbatores Pacis Anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Gauselino tituli sanctorum Marcellini, & Petri, Presbytero, & Luca sancta Maria in Via lata, Diacono Cardinalibus, Apostolica sedis nunciis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Personam carissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Anglie illustris, ejusque Regnum inclitum ea dilectionis sinceritate prosequimur, ut suum dicti Regni statum a guerrarum fluctibus liberum, & a discriminum, paternis desideris affectantes, ad procurandum tranquillitatem & quietem illius, opportunum Apostolicæ sedis Patrocinium, quantum cum Deo possumus liberaliter impendamus, quatinus Rex ipse, securitate sibi ab insidiis emulorum indulta utilitatibus propriis liberius possit intendere, seque ad assumentum negotiorum Terræ Sanctæ, nostris præcordiis non mediocriter infideas, ad quod, ut asserit, firmiter anhelat, habilis valeat præparare. Cum itaque, sicut displicenter audivimus, ipsorum Regis & Regni Pax & optanda tranquillitas, nedum sit forinsecis Guerrarum turbationibus perturbata, sed & intestinis periculose lacerata scissuris, dum nonnulli magnates & Domini dicti Regni, spreto fidelitatis debito ipsius Regis obedientia se subducunt, & tam illi, quam alii in ipsum, ac regnum prædictum, & Terram suam Hiberniæ impugnationis & invasionis reprobandæ conatus exercent. Nos eisdem, Regi & Regno præmissis considerationis intuitu, circa id, quantum in nobis est, prospici cupientes, in omnes & singulos cujuscumque sint præminentia, dignitatis ac status, qui Regem ipsum, Regnum & terram prædicta, aut eorum partem invadere, vel Regnum ipsum, & Terram contra Regem eundem, cum Armis, vel sine Armis intrare præsumperint, aut alias eorum pacem & tranquillitatem injustè turbaverint, seu hujusmodi Turbatoribus aut Invasoribus in Pecunia, equis, vel armis, vel aliis circa hæc præstiterint auxilium, consilium, vel favorem publicum vel occultum, Excommunicationis in personas, & interdicti sententias in Terras eorum auctoritate presentium, promulgandi. A qua quidem Excommunicationis sententia, sine speciali mandato sedis Apostolicæ, nisi forsan in mortis articulo, absolvi nequeant, in quo etiam, si fuerint absoluti, & ipsos contigerit sanitati restitui, nisi satisfecerint infra mensem, eadem sententia eo ipso ligentur. Nec non ad quascunque penas alias, spirituales & temporales contra illos debite procedendi. Et insuper, sententias atque penas, ubicumque & quotiescumque expedire videritis, & præcipue in locis maritimis, seu mari vicinis per vos, vel alium, seu alios solemniter publicandi. Ac omnes pactiones, obligationes confederationes & colligationes circa præmissa, vel eorum aliquod factas, Juramento vel quacunque firmitate alia roboratas, nullas, irritas, & Juribus, vacuas nuntiandi, vacuandi, seu dissolvendi, irritandi & revocandi, quatenus de facto processerint. Nec non & Juramenta, circa id præstita, prout secundum Deum expedire videritis, relaxandi. Et alia, quæ circa præmissa, & ea tangentia, fuerint oppor-

tuna, mediante Justitia, faciendi; non obstantibus quibuscumque commissionibus super dictis, vel eorum aliquo, vobis aut quibuscumque aliis, aliis per nos factis; quibus tamen per hæc non intendimus derogare; Sed eas volumus in suo vigore manere: Aut si aliquibus à Sede Apostolica sit indulgum, sub quacunque forma vel conceptione verborum, quod excommunicari, vel eorum Terræ Ecclesiastico interdictio supponi non possint per litteras sedis ejusdem non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; & qualibet aliâ dictæ sedis Indulgentia generali vel speciali; cujuscumque tenoris vel expressionis existat, per quam effectus presentium impediri possit, vel quomodo libet retardari vobis, aut vestrum alteri, plenam & liberam concedimus; tenore presentium facultatem.

Datum Avinion. quarto Calendas Januarii, Pontificatus nostri Anno secundo.

Ne quis è Fratribus ordinis Prædicatorum in Episcopum electus absque facultate superiorum electionem acceptet: Anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis & fratribus Ordinis Prædicatorum salutem, & Apostolicam benedictionem.

Ordinis vestri sacra Religio promeretur, ut petitionibus vestris quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Oblata nobis siquidem vestra petitio continebat, quod sæpe contingit, Fratres ejusdem ordinis in Episcopos eligi vel etiam postulari ab illis ad quos de jure hujusmodi electio seu postulatio dignoscitur pertinere. Nos itaque volentes super hoc remedium adhibere, auctoritate presentium districtius inhibemus, ut nullus Fratrum vestri ordinis electionem, seu postulacionem de se factam valeat acceptare, nec etiam aliquatenus consentire, nisi prius petita, & obtenta speciali licentia à Magistro ordinis supra dicti, vel à Priori Provinciali suo duntaxat, de cujus provincia hujusmodi electus fuerit, vel etiam postulatus, constitutione felicis recordationis Bonifacii Papæ octavi prædecessoris nostri super hoc edita, & qualibet alia contraria non obstante.

Datum Avenione decimo sexto Calendas Martii, Pontificatus nostri Anno primo.

Fratri Michaeli Ordinis Minorum committit causam quorundam Fratrum ejusdem Ordinis non bene de fide sentientium: Anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Michaeli Monacho Ordinis fratrum Minorum, Inquisitori hereticæ pravitatis in Provincia ac Forqualquerii Comitibus, nec non & in Crustaribus, terris & locis infra Arelatensem, Aquisensem, Ebreduensem, & Viennensem provincias constitentibus auctoritate Apostolica constituto salutem, & Apostolicam benedictionem.

Super omnia desiderabilia cordis nostri fidei catholicæ continuum incrementum intensio-

ANNO
1317.VII.
Ex Anecd.
Martene
Tom. 1. pag.
1349.VIII.
Ex Miscel.
Baluzii Tom.
I. pag. 195.